



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

V. Prophetissa quaedam matrimonium Henrici & Annae scelestum  
pronunciat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

demqua nostra sententia, & ex consilio & mero officio nostro predicto, praefatum Henricum Regem majoris Excommunicationis & alias censuras & poenas in dictis literis contentas, ob earum non partitionem & contemptum damnabiliter incurrisse & incidisse, ac ab omnibus Christi fidelibus evitandum fuisse & esse, declaramus, mandamus. Et nihilominus volentes cum eodem Henrico Rege nomine pii patris benigne & clementer agere, censurarum predictarum declarationem, usque, & per totum mensem Septembris proxime futurum, ad hoc, ut sententia & mandatis nostris predictis commodius parere possit, suspendimus. Et si infra dictum tempus parere distulerit, ac dictam Catharinam in pristinum statum, quo tempore litis mota erat, non restituerit, praefatamque Annam a sua cohabitatione & quasi possessione juris Conjugalis & Reginalis non abiecerit, & dicta attemptata cum effectu non purgaverit, extunc praesenti declarationi locum esse volumus & decernimus. Ita pronunciamus.

Henricus hac accepta sententia, tantum abfuit ut eidem pareret, aut poenitentiam cogitaret, ut perditorem potius hominum more, qui correctionem nullam admittunt, pervicacius multo progrediretur, & nihil aliud, quam vindictam, animo versaret: cujus primi impetus in Catharinam incurrerunt, feminam cujus inaeftimabilis virtus, & regia animi magnitudo inter ea, quae sunt in hoc mundo grandia, miraculo esse poterat. Itaque caeci affectus impetum per horribilia praecipitia sequens, & tanquam furore actus, palam edixit, ne quis in posterum Catharinam Reginae nomine dignaretur; sed ut tantum Arturi principis defuncti vidua ab omnibus vocaretur. Deinde admonitus ab Anna, quod uterum ferret (unde postea factus prodiit Angliae infaultissimus) Mariam ex Catharina filiam Walliae principem, tanquam spuriam & ex incestuosis nuptiis procreatam, dignitate & regia successione dejecit. Simul etiam custodes & exploratores in ipsa Catharinae domo constituit, nihil ut ibi gereretur, quod non rescisceret, Quia diffidentia factum est, ut crudeliter multa statueret in eos, qui bene cupiebant matronae omni calamitatum genere afflictissimae. Tunc & Ioannem Forestum, divi Francisci de observantia religiosum, qui Catharinae a confessionibus fuerat, in carcerem conjecit, & paucis post diebus Thomam Abelum, Edoverdum Povellum & Richardum Fetherstonum qui Reginae causam coram Legatis defenderant, recludi in custodias iussit. Vix effluxerunt menses quinque ex quo Henricus Annam

publice duxerat, quum illa septimo idus Septembris in ipso profesto natalis beatissimae Mariae virginis, Anno MDIII. filiam enixa est: quam certe non in legitimo matrimonio, sed ante nuptias ab Henrico, aut certe alio aliquo procreata fuisse necesse est. Henricus quidem hujus feminae quasi incantationibus fascinatus, suam esse persuaderi sibi passus est: & baptizandam curavit summo splendore ac celebritate, apud Grenuicum in Ecclesia fratrum Francisci de Observantia. Nomen ei impositum est Elizabethae. Vix edita erat in lucem, quum jam velut in ipsis cunis nil nisi caedem & sanguinem spirans, mortis causa plurimis extitit.

V. Erat illis temporibus virgo quaedam insignis sanctitatis, Deo consecrata, in monialium collegio austeram vitam agens, quae vulgo *Virgo sancta Cantiana* appellabatur. Haec varicinas praedicensque ea quae postea evenerunt, clare & palam asserbat, Henricum non amplius jam esse Regem, eo quod ex Deo non regnaret: Elizabetham vero Annae filiam non prius regnaturam, quam Catharinae filia Maria ad regni, quod jure haereditario ipsi deberetur, sedisset gubernacula. Ob quae verba in jus vocata, & in publicis Regni comitiis una cum duobus D. Benedicti Monachis, Eduardo Bochingo & Ioanne Deringo, duobus etiam sacerdotibus secularibus, Richardo Massero & Henrico Goldo (qui omnes eam spiritu Dei afflatam credebant) capitis condemnata fuit. Quam feminam quum Rossensis Episcopus & Thomas Morus iussu Regis diligenter examinassent, rerulerunt Regi, se nullo indicio deprehendere potuisse, eam fanatico spiritu (quod tunc spargebatur) agitatam fuisse. Quo nomine Rossensis accusatus fuit, quasi cum illa sentiret, & Ioannes Adefonus, qui ei fuit a sacello, una cum tabellione Cantuariensi; duo etiam nobiles laici, Thomas Goldus & Edovardus Ehuatus, in vincula eam ipsam ob causam conjecti fuerunt. Quum autem varia essent hominum de Henrici actionibus judicia, Rex id aegre ferens, occurrendumque ratus, Londini optimates omnes iussit coram Consiliariis suis jurato profiteri: secundas eius nuptias legitimas esse, prolemque inde natam, Elizabetham nomine, verum esse Regni heredem. Quam jurisjurandi formulam qui suscipere nolebant, conscientia prohibiti, in custodiam dati sunt: & in his Episcopus Rossensis & Thomas Morus. Fratres autem minores,

qui de observantia vulgo dicuntur quum hac iniquitate permoti, liberius loquerentur tam in publicis disputationibus, quam concionibus sacris, & in Annæ matrimonium gravissime inveherentur, ex Monasteriis suis pulsati, & plerique in carceres conjecti sunt. Rex quasi sitiens subditorum suorum sanguinem, quum recens illud à se invasum in Anglicanam Ecclesiam spirituale imperium fulcire, & ne post obitum suum in controversiam veniret successio, nuptiis suis auctoritatem aliquam atque robur conciliare studeret, Comitium publicum Regni indixit, ad tertium nonas Novembris futura. In his primas obtinebant Cranmerus & ij Episcopi, qui toti erant ipsius voluntati addicti: Rossensis in carcere tenebatur: Tonsallus vero Dunelmensis Episcopus Regis literis admonitus erat, ut Comitium non interesset. Inter Principes auctoritate anteceliebant, Carolus Brandonus Suffolciæ Dux, qui sororem Henrici matrimonio habebat, cujus tota postea familia miserrime perit: & Thomas Havardus Norfolciæ Dux, qui Regis voluntati aperte contradicere non fuit ausus, cuius iniqui obsequii mercedem postea retulit, perpetuis carceribus ab ipso Henrico damnatus, filio eius eriam securi percussio. Tanti nimirum est Regibus illorum vita, qui animas suas pro ipsis exponunt: & sæpe Deus peccatorum punit percussorem ipsum, in cujus gratiam peccatum commissum est. Sed quid actum fuit istis Comitium? Non aliud certè, quam ut Ecclesiastica disciplina evertetur, hæresis in locum eius succederet, & ab obedientia sanctæ sedis D. Petri homines eximerentur. Decretum est enim, ut Maria, quam antea Vallia principem populus professus fuerat, omni dignitate privaretur: honores autem omnes & successio nis jura in Elisabetham, tunc adhuc in cunis vaginentem, transferrentur. Deinde ut omnis potestas ac jurisdictio in Anglos Pontifici Romano adimeretur: Anglicana vero Ecclesia summum in terris caput, ut solus Rex haberetur, cujus solius esset errores, hæreses, abusus omnes auctoritate sua emendare. Atque illi propterea omnium sacerdotum integri proventus primi cuiusque anni, quo quis beneficium aliquod sortitus esset, solverentur: illi omnium Ecclesiasticarum dignitatum decima redderentur.

O vos miseros defunctos, qui proprios amicos & cognatos expectata hereditate defraudantes, tam amplios redditus Ecclesiarum præsulibus, Religionis causa constituistis! ut à pia vestra intentione excidistis! Nonne satius fuisset pecunias

vestras in mare abijcere quam in hunc usum, qui nullam vobis utilitatem affert, frustra eas impendere? Quinimò ipsum Papæ vocabulum persecutus, edict curavit, ut de cetero nullus Pontificum Romanorum vocaretur Papa: quàm legem tanta sævitia: executioni mandavit, ut capiti damneretur, si cujus in libro vel solum nomen Papæ non deletum extaret. In antiquorum Patrum operibus, ubi de S. Petri & successorum eius primatu præclare multa disseruntur, singuli in fronte scribere cogebantur ( & fiebat diligentissima inquisitio, si quis id facere neglexisset ) si quid in eis operibus inesset, quod Pontificis Romani primatum tueretur aut confirmaret, se illud jam nunc rejicere, nec ullis patribus aut doctoribus in ea re assentiri velle. In precibus seu Litanis quæ pro Principibus Christianis, & pro Papa à Christi fidelibus publice fiunt, Henricus hæc verba apponi præcepit: *Ab Episcopi Romani tyrannide & detestandis enormitatibus, liberanos Domine.* Nec contentus his quæ domi prohibidine constituerat ac fecerat, tentare etiam foris voluit, an exterum aliquem principem ad furoris sui participationem, hoc est, ad fœdus secum adversus Carolum Imperatorem ineundum, & ad obedientiam Romani Pontificis abijciendam pertrahere posset Legatos igitur mittit ad Franciscum Galliarum Regem: à quo præter expectationem suam malè accepti, ad certos Germaniæ Principes, qui jam dudum hæresi Lutherana se addixerant, profecti sunt. Illi quamvis lætarentur Henrici ab Ecclesia Catholica defectione, causam tamen eiusdem detestantes, ne ipsi quidem Legatis satisfecerunt: quibus re infecta in Angliam redeundum fuit. Ea res ita Henrici animum offendit, ut propterea Lutheri schisma amplecti, & nascentem eius religionem approbare nollet. Calvinum etiam Henrici primatum Ecclesiasticum improbasse, Commentarii ipsius in Amos Prophetam testantur.

Sed quum totus orbis abhorreret ab his, quæ faciebat Henricus, mitram tiaramque coronæ suæ adjungere moliens: soli Angli errorem hunc tum voce tum scriptis propugnabant, inter quos erant Sampsonius, Foxus, Morisonus Gardinerus Vintoniensis, & Tonsallus Dunelmensis Episcopi. Sed & impugnabant eundem nonnulli, in primis Polus: ad quem Rex Comitiorum acta per Cursorem suum Patavium usque transmisserat, literis humanissime scriptis petens, ut quum Regi tam esset conjunctus sanguine, in eius gratiam Ordinum decretis subscribere

scriberet, & ipse ad comprobendam novam Primatus auctoritatem opus aliquod edendo, suum erga Regem affectum testatum faceret. Hæsit aliquamdiu Polus dubius quid ageret: tandem statuit non modo non tueri primatum illum, sed & pro virili eversum destructumque ire. Laudabile profecto consilium, & dignum principe tam generosæ indolis & tam excellentis doctrinæ: quæ doctores ut raræ sunt in principibus viris, ita magnitudinem eorum insigniter illustrent. Nam quorum destituta scientia est magnitudo, magni sunt tantum inter parvos, ut qui stemmatis nobilitate à multis æquentur: at qui cum magnitudine sua doctrinam conjunxerunt, etiam inter magnos magni cluent. Ubi igitur excitavit se Polus, quatuor mensium studio, quatuor illos elegantissimos de Unione Ecclesiastica libros absolvit, quos Regi inscripsit. Quibus quum impium Regis primatum, quem is in Ecclesiam & in ipsum jus divinum sibi arrogabat, plurimis validissimisque argumentis doctissime confutaret: tantum sibi odium apud Regem concitavit, ut Rex oblitterata omni consanguinitatis, qua Polus contingebat, memora, vitam ejus multis deinceps insidiis peteret, eundemque læsæ Majestatis reum declararet: quin & interjecto deinde aliquo tempore, matrem fratremque & avunculum ejus, eandem (ut fertur) ob causam neci traderet. Et quamvis tot cædes crudelitatem Henrici exfariare debuissent, tamen ferarum ritu, quæ etiam sedata fame nihilominus mordent, nihil de ea remittens, religiosissimos quosque ad primatum illum suum agnoscendum cogere sibi proposuit. Tres igitur ordinis Carthusiani Priores, Joannem Hogthonium Londinensem, Robertum Laurentium Bevalensem, & Augustinum Vebsterum Exhamensem, comparere jussit coram confessu Ordinum, cui præsidebat Cromvelus. His proponebantur nova Comitiorum decreta, & jubebantur jurejurando affirmare, Regem tam in Ecclesiasticis, quam civilibus rebus supremum in Anglia esse caput. Quum illi nonnulla exciperent, & legis divinæ mentionem facerent, Cromvelus nullam se exceptionem admittere respondit; categorice illis, quæ proponerentur, affirmanda esse, sive lex divina permitteret, sive non, & quamvis aliter Romana sentiret Ecclesia. Quibus jurare reculantibus, res duodecim viris commissa est, secundum Regni consuetudinem, ut judicium ferrent.

Illi vero quum nihil quidquam morte dignum invenirent, sententiam differēbant, donec Cromvelus; se rem ad Regem delaturum, minitaretur. Quo nutu, qui etiam constantissimos nunquam labefactat, percussit, sententiam tandem pronunciarunt, quæ damnati Priores, eodem habitu, quo in monasteriis utebantur, in patibulum majoris ignominia causa acti sunt: nec enim Henricus tantum Religioni tribuendum existimavit, ut ex legum Ecclesiasticarum præscripto, vel gradu, vel habitu ante supplicium privandos curaret. Ad eandem judicii formam damnatus est Reginaldus Doctor, Brigittensis Monachus, Theologus insignis, & linguarum peritissimus; itemque alius quidam presbyter Joannes Hæilus. Passi sunt omnes eodem die, *quarto nonas Maii*.

V. His editis suppliciis, Henricus ut terrorem ceteris Monachis injiceret, & Priores Londinensis occisi membra in ipsa Monasterii janua affigijussit; & viros duos sæculares cænobio præfecit, qui juniores monachos depravarent. Sed quum isti nihil proficerent, velut alter Nero incredibili furore actus, tres alios Carthusianos comprehendijussit: qui quum prius per dies quindecim continuos, injectis ad collum, ad brachia, ad crura, circulis ferreis, erecti stare coacti essent, postea vimineis cratibus injecti, & per plateas urbis tracti, postquam laqueo ad breve tempus suspensi fuissent, mox vivi sectis funibus demissi sunt: tum autem carnifex pudendis præcis, pectus ferro aperuit, & cor evulsum in ignem conjecit; demum capite abscisso, reliquum corpus in quatuor partes dissecuit, illasque partes elixas in locis publicis suspendit. Præter hos Joannes Rocestrius & Jacobus Valverus, & ipsi Carthusiani, *quinto idus Maii* in civitate Eboracensi, laqueo strangulati vitam finierunt. Decem alii ejusdem ordinis, quorum nomina Anglici scriptores commemorant, in carcere extincti sunt. Adhuc Thomas Morus & Joannes Fisherus Roffensis Episcopus in custodia tenebantur. Roffensis post diuturnum carcerem, in quo agens à Paulo Papa tertio in Cardinalium Collegium adscriptus fuerat, ad judicium productus, & Regi, tanquam Anglicanæ Ecclesiæ capiti, jufurandum præstare jussus, renuit. Interrogatus an ipse, ut Cardinalis denuncieretur, procurasset, negavit se umquam illum honorem appetivisse, multoque minus in ipsis virenalis eam dignitatem ambivisse. Quumque